

# EPAENETICVS PRODROMVS

IN HELVETICVM ANTHOLOGION R.<sup>DI</sup> RELIGIO-  
siq̄ue D. P. Henrici Mureri, Patritij Lucernensis, Ordinis Carthusiani  
in Monasterio Ittingensi Sacerdotis Professi & Procuratoris,  
colendissimi sui Patroni: operâ Ioannis Modelij  
Presbyteri conscriptus.



Lylijs vernans floret Paradisus in aruis,  
 Quem diuina colunt gaudia, risus, amor.  
 Vnderosas mittit risori Virginis almus  
 Dorotheæ sponfus dum fera sæuit hiems.  
 Quo crebrò penetrat speculans Henricus, ibiq̄ue  
 Lilia decerpit, lilia grata Deo.  
 Scilicet, Heluetiæ conscripto codice flores,  
 Flosculus Ittingæ colligit instar apis.  
 Deciduos alij papposq̄ue phobasq̄ue sinulq̄ue  
 Folliculosq̄ue legant, nos pius hortus alet.  
 Quid lustrare iuuat Floræ vel Adonidis hortos?  
 Quid Limoniadùm prata referta rosis?  
 Gramina quid stupeam Cilicum? gemmasq̄ue Sabæas?  
 Turia quas halat? quas Paphos? atque Samos?  
 Quid spectem flores in odoris vallibus Ennæ?  
 Seu quos Cyrenis humida fundit humus?  
 Sed quid odore suo famulentur Hymettus & Hybla?  
 Cùm Paradisiacus corda pererret odor?  
 Aut quid Pæstani moueat me gloria ruris?  
 Vnius Henrici plus Paradisus habet.  
 Viluit Hesperidum, Lucani viluit hortus,  
 Phæacumq̄ue viror, Palladiumq̄ue nemus?  
 Dulcia quis Tempe? quis Mæcenatis agellum  
 Suauibus areolis æquiparare velit?  
 Tollite ridentes calathos & filia Nymphæ,  
 Tollite purpureum fidus ouantis agri.  
 Vt jucunda rigent alij violaria fonte,  
 Eligimus violas Carthusiensis agri.  
 Vt viridi Phæbus lauro sua tempora veler,  
 Vt sua verbenis compita Musa tegat;  
 Vt legat Euphrosyne calthas calycesq̄ue rosarum,  
 Flos tamen Henrici pluris habendus erit.  
 Flos campi Christus florum pulcherrimus est flos  
 Qui confert alijs floribus omne decus.  
 Lilia circumdant hunc in conuallibus orta,  
 Florigenoq̄ue virens fragrat odore solum.  
 Hic Solis vertex, hyacinthi Scapus, Amomi  
 Cymata collucent, asparagusq̄ue Croci.  
 Hic nardus gaudet sampsiuchus plaudit, & iris  
 Iubilat, & lychnis, betonicæq̄ue color.  
 Hic viret hyssopus, roris thyrsusq̄ue marini,  
 Exultatq̄ue viror suaueolentis humi.  
 Hic immortales amaranthi purpura spicas  
 Fundit, & assiduè lacta chamædris ouat.  
 Hic nunquam pereunt narcissi, stamina, sed nec  
 Floriferi ruris destitit vlla coma.